





20.  
5  
24

1758

ORDINIS MEDICI  
IN  
ACADEMIA VVITTENBERGENSI  
H. T.  
D E C A N V S  
GEORGIVS RVDOLPHVS  
BOEHMER  
PHILOS. AC MEDIC. DOCT. ANAT. ET BOTAN.  
PROF. PVBL. ORDIN.  
PANEGRIN MEDICAM  
AD DIEM XVIII. MENS. AVGVST. A. R. S. CIOIO CCLVIII.  
INDICIT  
ET  
CHIRVURGIAE CVR TORVM IN VEGETABILIBVS  
FELICITER INSTITVTAE VARIOS MODOS  
R E C E N S E T

1758



ORDINI MEDICI

ACADEMIAE VITTEBERGENSIS

PH. T.

D. R. O. N. V. S.

GEORGIVS RVDOLPHVS

BOEHMER

PHILOSOPHICAE DOCT. ANAT. BOTAN.

PHYSICAE ORDIN.

PANDECTVM MEDICVM

AD DEMONSTRANDVM ANATOMIAM ET PHYSIOLOGIAM

INDICIT

ET

CHIRURGICAE CURATORVM IN VEGETABILIVS

RECIPIENTIBUS INSERVATVM VARIOS MODOS

R. D. O. N. V. S. T.



urtas, et a primo ortu, vel a morbo, aut alio infor-  
 tunio mutilatas quasdam corporis humani partes, na-  
 sum scilicet, labia et aures reparare, ac per appositio-  
 nem restituere, docuit chirurgia. *Hegodæus* haec, Medicis veteribus <sup>a)</sup>  
 iam nota, primum a *FRANCA*, Siculo, vel rectius, ut statuit *CORTE-*  
*SIVS*, <sup>b)</sup> a *ROIANIS*, quorum familia Tropoeae in Calabria celebris  
 fuit, instituta, a *CASPARO TALIACOTIO* <sup>c)</sup> perfecte descripta,  
 ac recentiori tempore a *GARMANNO*, <sup>d)</sup> *SALZMANNO*, <sup>e)</sup> *DY-*

A 2

EGIS

- <sup>a)</sup> Conf. *CELSVS* L. VII. c. 9. *GALENVS* in Meth. Med. c. 16. et 18. *ÆGCI-*  
*NETA* Libr. VI. c. 26
- <sup>b)</sup> In Miscellan. Medicinal. Decad. X. Messanae 1679. fol. Dec. 3. p. 83.
- <sup>c)</sup> De Chirurgia Curtorum per institutionem Libri II. Venetiis ap. *CASP. BIND-*  
*ENVM* 1597. fol. cum figur. Prodiit etiam ibid. eodemque anno et forma ap.  
*ROB. MEIETTUM*, et quia illo iam tempore rarus esset, egregia vero et cle-  
 ganti doctrina abundaret, recusus fuit *Francos*. 1598. 8. Hos libros in *Com-*  
*pendium* redegit, Iconesque, a *TALIACOTIO* primum inventas, denuo edidit  
*CORTESIUS* l. c.
- <sup>d)</sup> De Miraculis Mortuorum, Dresdae 1709. 4. Libr. I. Tit. II. p. 83. f. 99.
- <sup>e)</sup> In Diss. de Chirurgia Curtorum Argentor. 1713. 4.

IOIS, f) ROSENO, g) aliisque h) contra aduersarios, qui cutem cui implantandi possibilitatem negarunt, defenſa, primum certe ortum regno vegetabili debet, et ab inſitione, qua

Ligno infelici felicem includere ramum i)

horti cultores docuerunt, ſua cepit primordia. Ad huius enim Chirurgiae, feliciter inſtituendae, operationem aliquando, aſt rarius, vt in reſtaurandis labiis et auribus, ſola cutis abſciſſa, et a cohaerentibus partibus plane ſeparata, adhibetur, aliquando, et inprimis in narium reſtauratione cutanea tradux, ex humero deſumpta, cum curta parte committitur, ita, vt faſciis bene applicatis, ad coalitum vsque coniunctim feruetur, dein vero, carnoſis partibus firmius unitis, ſurculus ſeu tradux reſectur, et rudis illa moles, a brachio ſecta, in formam conuenientem efformetur. Ita maxima eſt, inter curtorum Chirurgiam et arborum artiſicioſam propagationem ac inſitionem, conuenientia. k)

Variæ quidem ſunt inſitionis huius vegetabilis ſpecies, attamen omnes ad duas optime reducendae. Vel enim id, quod inferitur, ab arbore ſeparatum eſt, vel a ſuo trunco non auulſum, nouae arbori committitur ac implantatur. Poſtერიorem modum primo inuenit docuitque

COLV-

f) Quaest. Med. an Curtae Nares ex brachio reſciendae, Paris 1742. 4.

g) Diff. de Chirurgiae Curtorum possibilitate, Vpſal. 1742. 4.

h) Conf. G. F. de FRANKENAV. Satyrae Medicae p. 501. et I. Z. PLATNERI Chirurgia p. 379.

i) Verba ſunt R. B. RAPINI Hortorum Libr. IV. verſ. 117.

k) Vere, eleganter et copioſe de hac comparatione diſſeruit TALIACCOTIUS l. c. Libr. I. c. 12. p. 35. 199.

❁   ❁   ❁

COLVMELLA, 1) ac eum Terebrationem appellavit; recentiores Ablactationem dixerunt, m) Hic iuxta arborem, quam propagare studemus, alia detruncata, ramisque spoliata ponitur; haec vel perforatur, alteriusque arboris ramulus, quem traduceam vocant, a suo trunco non atulvus, per foramen traicitur; vel finditur, furculusque delibrato cortice fissurae imprimitur; sic vivit sarmentum, cum peregrina arbore tandem coalescit et postea a sua matre separatur.

Prioris autem speciei plures sunt modi, quorum nonnulli a veteribus inveniuntur, alii a recentioribus excogitati fuere. Tres recensuit FALLADIUS, n) scilicet:

- Aut noua discreto figuntur germina libro,
- Aut aliud summo robore, fissa capit,
- Aut virides oculos extremi gemma tumoris
- Concipit, et lento stringitur vda sinu.

Id enim, quod inferitur, vel inter truncum et corticem, vel inter truncum fissum excipitur, vel denique gemma, cum exigua corticis particula delibratae parti accommodatur. Hi omnes Infisionis nomine notissimi sunt. Speciatim vero illa operatio, dum fisco trunco furculus applicatur, proprie Infisio dicitur, vbi autem per cuneum truncatae arboris corticem a ligno separamus, furculumque in plagam demergimus, In-

A 3

folia.

1) De Re Rustica Libr. V. c. 29. edit. GESNERI Lips. 1735. 4. p. 524. Conf. etiam FALLADIUS Libr. III. cap. 17. p. 916. Geoponicor. Libr. XX. edit. PETR. NEEDHAMI Cantabrig. 1704. 8. Libr. IV. c. 13. p. 103. LAVRENERGIUS de Horti cultura Libr. I. c. 23. p. 106.

m) Conf. imprimis LAVRENERGIUS l. c. Libr. I. c. 27. p. 155.

n) De Re Rustica Libr. IV. qui est de Infisione p. 1017.



foliatio, <sup>e)</sup> vel Delibratio <sup>f)</sup> appellatur. Ad Inoculationem vero, a qua Emplastratio minime differt, licet PLINIVS <sup>g)</sup> contrarium asserat, sumitur scutula seu gemma fructiferae arboris, quae vel in denudatam partem alterius arboris includitur, vel fisso tantum cortice inter diducta vulneris labia reponitur. De his inferendi modis, centies descriptis, <sup>h)</sup> omnibusque horti cultoribus notissimis, haec, vel in transitu, norasse, sufficiant; - Sunt vero praeter hos alii, minus vsitati, et recentiori tempore iuuenti, qui curiosus paullo nunc describendi erunt. Et Auricularis quidem insitionis modus, qui etiam *ad digitale* dicitur, primo commemorandus erit. Huius descriptionem, ni fallimur, primum dedit Clar. PORTA, ideoque et Eius verba <sup>i)</sup> hic repetere licebit: *Mario mense, ex arbore, a qua fructus exoptas, novellam germen, pollicari crassitie, duorum pedum longitudine, laeue et niudum acuta falce praecidito, et a capite usque ad imum crus corticem sensim ac diligenter manibus intorquebis, ut a ligno illaesis geminis delibretur. Cum videbis facile a ligno, ut serpens, senecta exui, graciliori parte circumcidito anulum trium digitorum longitudine, ut in medio constituatur gemma. Deinde ex ea arbore, cui haec insitio desti-*

e) Vid. Geoponic. Libr. X. c. 76. p. 291.

f) Conf. LAVRENBURGIVS L. c. Libr. I. cap. 25. p. III.

g) Histor. Nat. Libr. XVII. c. 14. et 16.

h) Conf. qui eos fustius descripserunt, veteres de Re Rustica scriptores, Geoponicor. Libr. X. cap. 75. p. 289. ANT. MIZALDVS de Arborum Insitione, annexa Eius Historiae Hortensium Colon. 1577. 8. p. 206. sqq. IOH. BAPT. PORTA in Villa Libr. IV. c. 19. p. 208. seq. et inter recentiores CHRIST. REICHARTS Land- und Gartenschatzer, II. Theil, Erford. 1753. 8. c. 5. & 6. p. 53.

i) L. c. Libr. IV. c. 21. p. 211. Conf. etiam IOH. SIGISM. ELSHOLZII, Ne angelegter Gartenbau, Leipzig 1715, fol. p. 148.

destinabitur, eliges virgam, cui par cum tua virga sit magnitudo, et loco laeui et enodi, vbi maxime digitalis hic congruere videbitur, detrancabis, et si virga crassa erit, in quatuor partes findas, si tenuis, in tres, ac vnguibus a caesura paulatim cortice denudabis eam, et illico anulum a tua virga tolles, et in furculum, iam cortice spoliatum indes, leui manus libramento deprimendo, quousque ligno illum excipienti vndequaue cohaereat et anuli corticis fracturae periculum immineat, et virgae cortici figatur. Sed ne laxitas, vel humor inter excipient lignum et advenum corticem interceptus, cortices subtus depressi manus subleuamento ac leui filo circa caput religentur.

Annularem autem hanc insitionem omnino singularem quidem, non tamen a supra recensitis speciebus plane diuersam esse, sed potius eum inoculatione bene conuenire, ex data hac descriptione clare cognoscimus. In vtroque enim casu nouus cortex, gemma instructus, denudato ligno adponitur, et adcrecit; modo in vera inoculatione cortex volumine minor est, vnamque gemmam gerit, in hoc autem maior corticis portio, pluribus oculis instructa, adhiberi solet. Praeter ea taediosus est in parandis eius modi fistulis labor, multoque citius, imo feliciter, inoculatio, vltata encheiresi, instituitur, hinc rarissime in vsum venire solet.

Datur porro alius, veteribus etiam incognitus, et priori forte seculo inuentus, huius prosthesis vegetabilis modus, qui ab omnibus recensitis vere diuersus et singularis est, et facili opera, aut magno cum emolumento perficitur. Vocatur Copulatio. Legimus in veterum libris, arbores mutuo contactu inter se iniicere, coire et concresecere; Ita CA-

τὸ ε) scribit: *Si vitis vitem comingat, vitis utriusque latus alterum  
 praeradiato oblique et inter se medullam cum medulla libro colligato.*  
 Ast haec unionis ratio a nostra Copulatione multum differt, et quia ar-  
 bores, earumque furculi non abscissi, sed cohaerentes adhuc adhiben-  
 tur, potius cum terebratione vel ablactatione convenire existimamus.  
 Nec eius modi exempla, quae de radicibus, caulibus, aliisque partibus,  
 vel fortuito casu, vel curiesorum opera inter se coalitis, retulerunt  
 auctores, u) nec Toddapanna arbor, x) cuius ramuli uniuntur et con-  
 crescent, si clauo ferreo parenti iterum affigantur; nec denique ille, ad  
 colorem saporemque fructuum commutandum magis ingeniose excogita-  
 tus, quam vilis, nec experientia probatus, inferendi modus, dum furculi  
 secundum longitudinem per medullam dissecantur, et specie inter se di-  
 versi denuo colliguntur et combinantur, y) cum vera Copulatione exacte  
 conveniunt. Ita scilicet haec nova chirurgia instituitur.

Iunior arbor, quam perfectiorem reddere studeas, detruncatur in  
 certa altitudine, ita vero, ut eius summa pars ab inferiori latere sursum  
 oblique dissecetur; sumitur dein ramulus ex alia nobiliori arbore, qui  
 cum trunco, oblique secto, eandem habet crassitiem et formam, eodemque  
 modo

r) De Re Rust. cap. 41.

u) Conf. IOH. DAN. MAIORIS Diss. de Planta monstrosa Gortorpiensi, ubi et  
 quaedam de Coalescentia stirpium, Schleswigae 1665. 4. Plura quoque  
 exempla in Progr. de Plantis facticiis Witteb. 1752. edit. p. 10. & 11. addu-  
 ximus.

x) Conf. Hort. Malabar. Part. III. p. 12.

y) Varios eius modi unionis modos tradiderunt veteres. Ita AFRICANVS scri-  
 bit: duo diversi generis sarmenta accipienda esse, eaque per medium findenda,  
 atque ita alteram alteri adiungendum, ut oculi coincident et se mutuo contin-  
 gant, ut duo oculi quasi unus fiat. Conf. Geoponic Lib. X. c. 53. p. 275. et  
 PORTAE Villa Lib. IV. cap. 28. p. 220.



modo ille obliqua sectione abscinditur; abscissus ita ramulus applicatur mutilato trunco ea quidem ratione, ut utriusque obliquus finis, id est cortex cortici, lignum ligno et medulla medullae possit accurate committi et adhaerere, coniunctionis locus contra externas iniurias emplastro bene munitur. Sic intra paucas septimanas concresecunt ambo, et separato etiam vinculo, firmissime cohaerent.

GEORGIVS HOLYCKIVS, qui An. 1678. Regiomonti primo a se institutam fuisse hanc operationem scribit, \*) eandem quoque, aliter mutata paulo ratione, in crassioribus arboribus tentavit, eundemque felicem eventum obtinuit. Truncum scilicet horizontaliter primo dissecuit, dein ad trium fere digitorum latitudinem eius medium siue medullam fidit, diffusamque partem in imo latere separavit, ita quidem, ut apex trunci scalae gradui similis evaderet, cui dein alius arboris ramus eiusdem formae, eodemque efformatus modo, apponeretur, et aptissime munitus vinculo, iungeretur.

Vtrumque nunc descriptum appositionis modum in variis arboribus felicissimo fere semper cum eventu institutum, priorem vero, ut potest simpliciore et faciliore, posteriori praefereendum, cumque ab horticultoribus frequentius, quam hactenus factum fuit, exercendum esse,

B

existi-

\*) Conf. Eius *Neu vermehrtes vierfaches Gartenbuch*, edit. Francof. 1750. 8. cap. 10. p. 34. sq. Hoc in loco ipse sibi inventionis gloriam tribuit. Et coram plurimis, qui de horticultura & arborum institutione tractarunt, libris vel nullam plane huius copulationis commemorationem vel descriptionem invenimus. An hac ratione Sinenfis arboris, Manka dictae, institutio instituat, dubium est. vid. STEPH. LYDOV. PACHBYSCHII *Diss. de varia plantarum propagatione* Lips. 1695. cap. 4. §. 9. Inter recentissimos auctores HOLYCKII vestigia facti sunt LYDOV. PHIL. KRAVSIUS, in *dem klugen und sorgfältigen Gartner*, Langensalza 1741. 8. cap. 40. p. 211. et PETER GABRIEL in *dem Blumen-Küchen- und Baumgärtner*, Tübingen 1755. 8. cap. 9. p. 160.

existimamus. Expectationi enim nostrae semper respondebit euentus, et furculi, hoc modo appositi, omnes, non modo germinant, et inrescunt, sed plerumque etiam primo anno flores atque fructus exhibere solent; Immo tantam ex eiusmodi copulatis ramulis obtinuimus fructuum copiam, ut ipsa arbor, iis sustinendis et nutriendis haud sufficiens, tabem atque mortem inde contraxerit.

Nolumus nunc ea, quae ad selectum furculorum arborumque <sup>a)</sup> spectant, hic exponere, neque fusiores esse in recensendis omnibus illis, quae vel vtriusque praeparationem concernunt, vel ad faciliorem coalitionem aliquid conferunt. <sup>b)</sup> Quae enim in genere in omni Institutione, ea etiam in hac specie, obseruari debent; modo monemus, furculos confestim inferendos, ne diuturniore mora humor internus exhauriatur et furculus exsicceretur, atque ad Aequinoctium vernum, dum germinatione turgent arbores, et grauidas gemmas gestiunt, immo et Aprili mense, licet quodam modo expansis oculorum foliis, operationem instituendam esse.

Quo modo furculi, per institutionem applicati, cum suo trunco cohaereant, et concresecant, Cel. DVHAMEL <sup>c)</sup> plurimis experimentis inuenit atque explicauit. In omnibus enim vidit, furculorum fibras eo in loco, vbi ille agglutinatus erat, suam directionem mutare, et confuso ordine, sibi vario modo implicatas, excurrere. Praeterea inter furculum

<sup>a)</sup> Conf. Cel. DVHAMEL. in Acad. Reg. Paris. an. 1730. et 1731. edit. Germ. Tom. VII. p. 747. et Tom. VIII. p. 163. sq. vbi plurima recensuit experimenta, quae arborum furculorumque selectum concernunt.

<sup>b)</sup> Surculos, qui inferuntur, nitidos, acutis falcebus decisos, corticem purum, nulla sui parte cicatricosum, lignumque integrum ac inuiolatum esse debere, et quae sunt alia, in veterum iamiam, Rei Rusticae Scriptorum, libris annotatum legimus.

<sup>c)</sup> In Acad. Reg. Paris. an. 1728. edit. Germ. Tom. VII. p. 391. sqq.

lum et arborem paruum quandoque spatium inuenit, teneriori substantia, medullae fimillima, repletum. Nouam hanc enatam fabricam glandulis comparauit, crediditque singularem humorum praeparationem et secretionem eo in loco fieri. Idem Celeberrimus Auctor in alia disquisitione, d) in qua de modo, quo furculus arbori unitur, cui inseritur, doctissime egit, luculenter demonstrauit dissectione plurium insitarum arborum, in quibus furculorum lignum diuersi erat coloris ab ipso arborum ligno, partem arborum lignosam, si induruerit, non cum fibris lignosis separatis vel ruptis coalescere, sed ruptarum arborum coalescentiam solo cortice fieri, vel materia ex interiori arboris propullulante, haud fecus ac ossium in animalibus vulnera solo mediante perioestio e) cocunt.

Nolumus experimentis his, omni modo curate institutis, fidem denegare vel contradicere, attamen in ramulis, copulatione vera unitis, dissectisque, haudquaquam ea inuenire et obseruare potuimus phaenomena, ita ut existimemus, alia ratione furculos copulatos, alia vero insitos concrefcere. Arboribus enim eo in loco, ubi coniunctio facta fuit, vel perpendiculariter, vel horizontaliter dissectis ac sollicitè examinatis, nec singularem novamque fibrarum directionem, nec interpositam molliorem substantiam, nec denique coalescentiam solo cortice factam fuisse, deprehendimus; Vidimus potius, cortice externo calloso remoto, lignosum corpus utriusque perfecte et ita unitum esse, ut nulla

B 2

fere

d) Conf. Acad. Reg. Paris. 1746. et Commentar. de Rebus in scientia naturali et medicina gestis Vol. I. p. 294.

e) Nonnulla contra hanc theoriam proposuit IOHANNES BENIAMIN BOEHMER, Frater, et post mortem nobis dilectissimus, in Progr. de Ossium callo Lipf. 1748.



fere diuisionis nota remanserit, sed vnā et homogēneam massam re-  
praesentaret; Idque in furculis, per octo septimanas tantum unitis ob-  
seruauimus.

Essent forte aliae curtorum chirurgiae, in vegetabilibus instituendae  
species; immo datur alius copulationis modus, qui per triangulum  
instituitur, et vulgo *das Trianguliren* dicitur, sed sufficiant proposita  
exempla, ex quibus clarissime elucescit, quam bene et feliciter in plantis  
haec manualis medicina exerceatur. Potius nunc ad istud negotium ex-  
pediendum me conuerto, quod mihi haec qualiacunque proponendi oc-  
casionem dedit. Scilicet iam commemorandus est.

*Nobilissimus et Doctissimus*  
**DN. IVLIUS CHRISTIANVS**  
**LEMMER**

*Medicinae Candidatus Dignissimus*

Qui nunc ipse vitam suam, hac vsque in praeclaris studiis laudabiliter  
actam, modeste exponet.

*Ego, IVLIUS CHRISTIANVS LEM-*  
*MER in lucem editus Anno MDCCXXVII.*  
*die XXIII. Mens. Iulii Leitzkouiae, quae villa*  
*est rustica Marchia Brandenburgica, Patre FRI-*  
*DERICO GEORGIO ELIA LEMMERO, memora-*  
*tae*

tae villae Althauß Leitzkau, ad Generosissimum  
 Equitem de MÜNCHHAUSEN pertinentis, Prae-  
 fecto, Viro pio et industrio, Matre SOPHIA CHRIS-  
 TIANA e gente SCHMIDIANA. Ab his Parenti-  
 bus et Experientissimo Viro IOHANNE ANDREA  
 SIGISMUNDO BOETTICHERO Medic. Doct. et  
 Practico Seruestano, qui matri viduae matrimo-  
 nio iunctus fuit, ad optimas artes educatus, san-  
 ctissimae Lutheranae Religionis praecepta et lit-  
 terarum rudimenta in schola, quae Seruestae flo-  
 ret, accepi; priuata simul institutione Praecep-  
 torum usus. An. 1747. Celeberrimum Collegium  
 Carolino Brunswigense salutavi, inque eodem  
 Clarissimos Professores Praeceptores venerari mi-  
 hi licuit. Etenim in Theologia KOECHERI, in  
 Anatome et Physiologia WITTII, in Politica et  
 Cameralibus ZINCKII, in omni Philosophia  
 SEIDLERI, in Historia SCHRODTII, Geographia

SCHVTZII, in latina ac graeca lingua REICHARDI et HEVMANNI tam publica quam priuata Collegia frequentauit; Quorum Praestantissimorum Virorum in me merita publice nunc laudo et pro salute Praeceptorum pia Vota facio. His instructus subsidiis An. 1748. d. 1. Iul. ad Lipsiensem Musarum sedem accessi, a Magnifico CHRISTIO in numerum studiosorum receptus, ac institutione Excellentissimorum Professorum usus. In cursu Philosophiae GOTTSCHEDIVM audiui, Anatomicis et Physiologicis Praelectionibus LVDWIGII et BOSII interfui, Materiam Medicam et Therapiam ab HEBENSTREITIO accepi, in Botanicis PLAZIVM et G. R. BOEHMERVM, Praeceptores habui, IOH. BENI. BOEHMERVM, dum viueret, in Pathologia et Semiotica audiui, in Anatomie duce IANKIO me exercui, Huiusque opera in repetendis omnibus medicinae partibus usus fui.



Ita scientia et peritia instructus ad nostram Musarum sedem accessit, et Gratosae nostrae Facultati desiderium suum modeste exposuit, summosque in Arte salutari honores petiit; itaque in numerum Candidatorum receptus consueta subiit examina, in quibus suorum in arte nostra perfectuum, pulchra dedit specimina. Ut itaque virtutis et eruditionis praemia more maiorum legitime capefferet, decretum est, ut sub Praesidio *Excellentissimi et Experientissimi Viri D. GEORGII AVGVSTI LANGVTHI Chirurg. et Pathol. Prof. P. O. Facultatis Medicae Senioris, Fautoris et Collegae nostri honoratissimi* Inauguralem Dissertationem de *Animo Sanitatis Praeside atque Custode optimo* d. XVIII Mens. August. publice defenderet. Ad quem solennem Actum RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, ILLUSTRISSIMOS COMITES, PERILLVSTRES LIBEROS BARONES, ACADEMIAS PROCERES, FACTORES et CIVES pro officii nostri ratione officiosissime et humanissime inuitamus.

---

P. P. Domin. XII. post Trinitatis MDCCLVIII.

---

EX OFFICINA GERDESIANA.





Wildenberg, Diss., 1756-58

ULB Halle


003 608 042

3



156





B.I.G.

Farbkarte #13

20  
5  
24

1758

ORDINIS MEDICI  
 IN  
 ACADEMIA VVITTENBERGENSI  
 H. T.  
 D E C A N V S  
 GEORGIUS RVDOLPHVS  
 BOEHMER  
 PHILOS. AC MEDIC. DOCT. ANAT. ET BOTAN.  
 PROF. PVBL. ORDIN.  
 PANEGYRIN MEDICAM  
 AD DIEM XVIII. MENS. AVGVST. A. R. S. CIO 19 CCLVIII.  
 INDICIT  
 ET  
 CHIRVrgIAE CVR TORVM IN VEGETABILIBVS  
 FELICITER INSTITVTAE VARIOS MODOS  
 R E C E N S E T

1758

